CARMEN
De
FORMVLA CON=
CORDIAE CHRISTIANAE
OPERE

DIVI AVGVSTI ELECTORIS
diviniſsimo recitatum

XI. Febr. Anno M. DC. I.

In æde Paulina.

LIPSIÆ
ANNO CIↃ. IↃC. I.

PARENTATIO.

ILle dies iterum illuxit, quo Numine læſo
Augustus patriæ Pater, & memorabilis Heros,
Enſifer Imperij, noſtri columenq́; Lycei
Terris ereptus ſuperam conceſſit in aulam,
Nunc ubi cœleſti lætus ſplendore coruſcat,
Ciuibus hic miſeris mundi in ſqualore relictis.
Ergo pias iterant lacrymas, iterantq́; querelas
Nymphæ Pleiſſiades, lamentaq́; mutua iungunt.
Heu pietas, heu priſca fides; Germanica Virtus
Occidit, Auguſtus Princeps pius occidit, Eheu
Quando parem Auguſto Myſio cernemus in orbe?
Saluete Auguſti Manes, ſaluete repoſti
Inter cœleſtes: hanc lucem ſemper acerbam
Semper honoratam feſta celebrabimus ade,
Lucem, qua terris fuit vltima, quaq́; fideli
Saluatori animam reddebas pectore forti.
Tu reliquos præter, quos vexit ad æthera virtus
Saxonicæ domui decus immortale paraſti;
Conſilijs veræ Fidei, pacisq́; tuendæ
Hoſtibus arcendis patriâ fidiſſimus Autor.
Non opis eſt noſtræ dignas tibi ſoluere grates,

Ipſe

Ipſe Deus magnas cœleſti ſede receptæ
Præſtat opes animæ, quas perpetuabit in æuum.
Interea memori ſemper te voce ſequemur,
Solenniq; tuas repetemus carmine laudes.
Sed cuinam tantæ fuerint in carmina vires
Inſignem pietate Ducem, meritisq; ſtupendis,
Conſilioq; grauem dignis vt laudibus ornet?
Conandum tamen ad iuſſum RECTORIS *honeſtum*
Qui ſceptrum gerit, & ſtudij moderatur habenas.
Non repetã AUGUSTUS, *quàm ſeruantiſſimus æqui,*
Quàm fuerit grauis & prudens in rebus agendis,
Romano quantum Imperio, Terrisq; paternis
Profuerit, (neq; enim breuis horula ſufficit iſtis,
Et ſæpe à magnis ſunt decantata Poëtis)
Sumo opus AVGVSTI *multis è millibus vnum,*
Atq; hoc præ reliquis tantò præſtantius vnum,
Quantum terrenis præſtant cœleſtia rebus.
Quæ fuerint Satanæ inſidiæ poſt fata Lutheri
Sacra quibus voluit paſſim conuellere ſcripta
Fermento Auſonio & CinglI expurgata veneno,
Quos operis vafros fabros, falſosq; Sinones

Miſerit Auguſtum Heroem nil tale timentem
Fraude petituros; atq; vnde occaſio nata
Reddere concordes animos, vocemq́; Docentum
Concordi NORMA, *quæ* CONCORS FORMVLA *nobis*
Dicitur, & noſtra eſt, & erit confeßio, donec
Peruerſo in MVNDO *viuant monumenta Lutheri.*
Hoc opus AVGVSTI *eſt, quo non diuinius vllum,*
Hoc decus æternum, magnũ & memorabile nomen
Auguſto peperit, quod nullo intercidet æuo.
Quæ dum iuſſa cano, linguis animisq́; fauete
VVeinrichi Antiſtes populi, noſtriq́; Lycei
RECTOR *honoratos geſtans pro tempore faſces,*
Sionij proceres, qui rectè oracula VERBI
Diuiditis, pubemq́; ſacram, populumq́; docetis,
Doctores legum veneranda ſcientia Iuris,
Quos vehit, atq; iubet iuſtum diſtinguere iniquo,
Quiq́; facultates herbarum, artemq́; medendi
Phœbeæ doctæ monſtratis voce iuuentæ,
Et qui diuinas naui proponitis Artes
Non attendentes mendax quid Spiritus Orci
Euomat, ingenuis malè dum conuicia dicit
Artibus, egregio Ihouæ quas munere habemus

Tuq́;

Tuq; Deo chara, & ſtudijs addicta iuuentus
Audi, namq; tuos quædam repetentur in vſus.
Incipiam; Diuus cum Verba beata Lutherus
Pontificum erueret tenebris, & ſordibus atris,
Redderet ac vero à maculis purgata nitori;
Vndiq; certandi ſtudio peruerſa virorum
Ingènia occurſant, Satana inſtigante magiſtro,
Fraudibus hi inſtructi varijs, atq; arte nocendi
Sana renaſcentis doctrinæ ſenſa nefando
Deprauare ſuis tentant molimine gloſſis.
Hac ex parte ſonat bellator claſſica dira
Cinglius, ex illa ſæuis Hausſcheinius armis
Accurrit, famamq; petunt iugulumq; Lutheri.
Nec minus interea (vix credas) Leucoris ipſa
Carlſtadij furijs decepta, abſente Luthero
Præcipiti iconum raptu, ſuſpecta Lutheri.
Pontifici atq; alijs conſtantia dogmata reddit.
Haud mora continuò exoritur fanatica turba,
Quæ raptus ſimulans, cæca vertigine fertur
In ſua debacchans funeſto viſcera ferro:
Rurigenæ pereunt per maxima vulnera fratres,
Oppoſitaq; cadunt acie poſt mille furores,

Et tandem damnatam animam cum ſanguine
fundunt.
Strenu⁹ hinc & eques veniẽs Suenckfeldius arvis
Eliſijs novat haud æquo certamine Martem,
Hinc alij, inde alij, quorum meminiſſe dolori eſt.
Hoſtibus inſanis tot circumſeptus vbiq;
Haud infelici depugnat Marte Lutherus.
Ipſe refert equidem optatam certamine palmam,
Vulnera ſed ſacræ paſſim inde inflicta cohorti
Cuncta nequit ſanare; imò diſcrimine tanto
Non ceſſant falſi per iniqua ſilentia fratres
Semina Leucoreum Carlſtadica ſpargere in hortũ.
Non requieuit enim Satanas, labentibus annis
Per clandeſtinos Verbum impugnare meatus;
Donec acerbato feſſas diſcedere Doctor
Pectore & inſidias tot declinare pararet.
Heu quos tum gemitus diuine Luthere dediſti?
Quas tecum IANVS FRIDRICHVS *ab ore querelas*
Fudit, vt indomitum Satanæ ſenſère furorem?
Ergo toro DOCTOR *poſtremò vbi ſtaret in alto*
VVittenbergiacâ populumq; doceret in æde
Voce graui cœpit totam obſecrare cateruam

Pontifi-

Pontificem, Sacramentariaq́ agmina cautè
Vt fugeret, Verboq́ Dei conſtanter adhærens
Obſequio fidei ſemper ſe ſubderet almæ.
Poſt vbi vicinus morti rediiſſet in urbem
Patritam conſtans cœli migravit in arcem.
Extemplo his terris unà pax alma recedit,
Cæſaris & Caroli Germania milite tota
Impletur, Mavors fremit horridus ore cruento;
Arma inter leges, ſtudiumq́ ſilebat, & omnis
Tuta etiam metuens, dilapſa Academia fugit.
Non minus interea Verbum cœleſte remanſit
Electore pio mentem obfirmante fidelem.
Denuò poſt bellum collecta Academia feces
Hæreſeos calvæ multas contraxit; at illæ
Ebullire minus poterant, obſtante Lutheri
Principe defenſore, & viva voce Philippi.
Infauſto interea Calvinus ſidere prodit
Bella infauſta movens, certamen ad acre laceſſit
Paſtorem, Hamburgenſe pius qui pavit ovile,
VVeſtphalus ille fuit conſtanti pectore Chriſti
Servus, & aſſertor veraci voce Lutheri.
Parte alia volucri lapſu, Hardenbergius ater

Crabro Bremenſis adeſt , latè loca multa ſuſurro
Intempeſtiuo complens , dum ſcriptitat audax
Saxoniæ contra vacuos errore Miniſtros.
Ambo legatos mittunt ad mœnia montis
Albi, qui ſubeunt præclari tecta Philippi,
Conſiliumq́; petunt de relligione vocata
In dubium, num Caluini [redacted], ſit numve Lutheri
Intemerata fides ? Tacet ad quæſita Philippus
Legatosq́; parat dubio dimittere ſenſu,
Non ſecus ac quondam conſulta oracula Phœbi
Cortina ancipiti reddebant voce loquelas.
Ille licet nunquam Caluini ſcripta probarit
Omnia; Calvino tamen Hardenbergius ipſo
Deterior magnum eſt Conſulti expertus amorem.
Interea paſſim circumſona fama vagatur
Leucorin à ſenſu declinauiſſe Lutheri,
Atq́; patrocinium doctrinæ aſſumere falſæ.
Comprobat hanc tandē auſpicijs concepta ſiniſtris,
Quæq́; Palatino pòſt reddita Epiſtola, litem
Ortam Eytelbergæ magna cum labe diremit.
Mens equidem tantæ cladis præſaga Philippi
Retraxit calamum diuinæ pacis amantem;

Nam

Nam multos ſilet ille dies, tectusq́ recuſat
Prodere conſilio quicquam; ſuſpendere mauult
Iudicium; donec crebris vix vocibus actus
Cirleri, illuſtri fuerat qui miſſus ab aula
Compoſitò dat conſilium, Princeps vt vtramq́
Rixantum partem confeſtim pellat ab vrbe.
O vtinam, ò vtinam talis diuine Melanchthon
E trepida nunquam fluxiſſet Epiſtola dextra,
Quis cladem iſtius ſcripti, quis damna ſalutis
Explicet, aut poßit lacrymis æquare dolorem?
Vox tua Caluinum laudauit publica nunquam,
Nunquam de cathedra dixiſti adverſa Luthero.
Diſpereant, qui te in tantam traxêre ruinam
At poſtquam vitæ ſatur atq́ labore Melanchthon
Confectus ſuperis placidè conceßit ab oris
Poſt ſe complures inſtructos fraude reliquit,
Doctrina, eloquio, nec non virtute celebres.
Quorum alij manifeſta ſuã per pulpita mentem
Prodebant; alij iniecta formidine contra
Lutherum cæcæ muſſabant ſomnia mentis.
Principis hæc tetra improbitas innotuit aulæ
Theologiq́ Patris veſtigia ſancta Lutheri

Sectan-

Sectantes fraudem per Saxonis arua potentis
Deprendunt, calamoq; volunt, & voce tueri
Fundamenta piæ doctrinæ, hoſteſq; notare.
At veluti polypus varias aſſumere formas
Non eſt indocilis, piſcatoremq; ſequentem
Fallere, fallaci inſidias qui ponit in hamo:
Non aliter Vertumni iſti, ſpeciemq; piorum
Doctorum, & ſanæ doctrinæ oſtendere nôrant:
Quin adeò poterant corde occultare venenum,
Atq; bonos multos phaleratis ducere dictis,
Vt quidam minima nec ſuſpicione grauati
Leucoreas ſcripto auderent defendere vulpes:
Niq; Catecheſis, monſtrumq; ferox ſtereoma
Incertum fundamentum, ſine fundamento
Certo in conſpectum furiata mente dediſſent,
Cautores nemo potuiſſet prendere catos,
Tantæ ſunt hominum latebræ, cordiſq; receſſus.
Sit tibi, ſit mihi fas homines odiſſe bilingues
Non minus atq; Erebi portas, quicunq; loquũtur
Ore aliud, falſoq; aliud ſub pectore condunt.
Tum verò manifeſta fides, paſſimq; pateſcunt
Multorũ inſidiæ & fraudes: mox Saxones inter

Theolo-

Theologi euigilant, & ſicut odora canum vis
Acclamant ſæuosq; lupos, vulpesq; doloſas
Euigilat Princeps AVGVSTVS, *& illicò Dreſdam*
Accerſit Myſtas, remq; omnem his ordine pandit:
De Sacramentis vt conſentanea Verbo
Vnanimis ſcripto votis, & voce docerent
Flagitat, errori ſic præuenturus iniquo.
Conſenſum hi cudunt Dresdenſem, nobile ſcriptũ
Quod nec hilo melius tumido ſtereomate, fucum
Auguſto fecit, ceu vos meminiſſe poteſtis.
Aßedere quidem, quorum ſententia menti
Verior, aſt illi inſidijs ſensère deinceps
Impoſitum ſibi Leucorijs atq; arte pelaſga.
Sed velut aſſumtum crudele in viſcera virus
In venis latitare diu nequit; ocyus ipſum
Cor petit, & miſeros ſerpendo lancinat artus,
Ætherias donec vitam diſpellit in auras,
Quin alijs ſimul erumpens contagia confert:
Haud aliter ſæuum peruerſi dogmatis œſtrum
Corde latere nequit; ſuperas erumpit in auras
Exitiumq; ſuis adfert autoribus; & mox
Decipit incautos, vigili ni corde reſiſtant.

Neſcit celari fraus, nec dominator auerni
Corda ſemel conſtricta ſuis dimittit habenis.
Ergo Exegeſis prægnans hac parturit vrbe,
Damnoſamq́; ſuis ſobolem infamemq́; Magiſtris.
At pius AVGVSTVS *tanto in diſcrimine rerum*
Vult vera populum ſub relligione tueri;
Suſpectos ſubitò Torgenſem cogit in aulam,
Præſentes vultu irato ferit: atq; ita fatur:
Hei mihi perfidiam quantam gens improba nutris
Pectore ſacrilego? quæ tanta inſania mentem
Præcipitat? quis dirus agit furor, aut ferus error?
Fare age tu, mihiq́; hæc ediſſere vera roganti;
Num tibi Caluini arrident, an ſcripta Lutheri?
Conticuère omnes atq; ora ſceleſta tenebant.
Vnus depoſitâ tandem formidine fatur.
Vera equidem, Elector, ceu fas eſt, cuncta fatebor,
Non ego Cingliacâ doctum de gente negabo
Me, ſociosq́; meos, hæc eſt ſententia mentis.
Ergo graui poſthac pœnâ commiſſa luetis
Subijcit Elector, verbisq́; obiurgat acerbis,
Conſpectum vitate meum, vitate maligni
Inſidiatores, falſa qui mente bilingues

Me ignarum ſcelerum tantorum, artisq; doloſæ
Fallere non eſtis veriti, diſcedite, abite,
Immemores fidei, iuris, pietatis, honeſti.
Degeneres veluti pueri præſente Magiſtro
Diſsimulant vicia, & mentem probitatis amantẽ
Compoſito fingunt vultu; ſed corde profundo
Improbitas latet, extemploq; erumpit in actum,
Quamprimum iratus ſua vertit terga Magiſter,
Qui ſe deceptum ſi ſentit, acerbius inſtat
Ingeniiq; dolos pœnæ grauitate coërcet:
Sic pater Auguſtus toties deluſus ab iſtis
Tandem animaduertens fraudes iratior vrget.
Fraudibus Auguſti cura ſtudioq; retectis
Conſenſuq; pio Caluini dogmate pulſo
Paulatim potuit doctrina redire Lutheri;
Reſtabant aliæ lites, & iurgia crebra
Doctores inter, queis vera profeſsio curæ;
Hæc etiam Auguſtus voluit componere, vt uno
Corde, & voce vna cœleſtia VERBA *docerent*
Plantarentq; DEO *coniuncto munere cœlum.*
Hic ſe iudicio attollit magno inclitus Heros,
Atq; iterum ſpecimen generoſi pectoris edit.

Nam poſtquam optatis Aldenburgenſe videret
Colloquium ſine (contra ſpem) ſucceſsibus eſſe,
Omniaq́, in peius ruere, & ſublapſa referri
Retrogrado caſu, externiq́ frequentibus ipſum
Vrgerent monitis certa de fraude ſuorum;
Impete diuino inſtituit reſtinguere flammas
Diſsidij, quod multis ardeſcebat in oris:
Vt tandem in cunctis eſſet regionibus idem
Doctrinæ ſenſus, Verbo conformis, & illis
Articulis Carolo quondam qui Numine pleni
Auguſtæ exhibiti, nec non currentibus annis
Sinceri fuerant, immutatiq́, retenti,
Doctoreſq́, quibus vera hæc confeſsio cordi,
Coniunctis ſeſe ſtudiis opponere poſſent
Caluini ſocijs tetris erroribus actis.
Ergo multa pio ſecum ſub pectore verſans
Aggreditur primus, ſola pietate monente
Sanctum op⁹, in ſolū Chriſti omnipotentis honorē,
Subſidium veræ doctrinæ, hominumq́, ſalutem,
Et pacem cunctis ſacra Auguſtana profeſsis
Luthero quondam veraci teſte probata,
Hæc vult ad ſeros ſincera venire nepotes,

Poſtquam id conſilio ſecum concluſit honeſto,
Principibus decreta viris communicat, orans
Vt ſibi conſilijs adſint, & mente fideli.
Extemplo reſponſa Ducum exoptata reportant
Legati, placet in tanto molimine felix
Auſpicium, ornari cuncti ſucceſsibus optant
Proſperioribus, auxilium promti atq; fideles,
Promittunt, grateſq; ferunt pro talibus auſis.
Tum verò Auguſti pectus pia gaudia mulcent.
Lichtenbergiacam pòſt accerſiuit in arcem
Biſſenos patres, quorum confeſsio certa;
Quos ſic alloquitur: Vos ô fidiſsima nobis
Pectora, nouiſtis quanto in diſcrimine noſtra
Relligio ſteterit peruersâ fraude Sinonum
Prodita, quos iuſtè noſtris eiecimus oris,
Aut cœco, vt fas eſt, frenamus carcere captos.
Nunc ego maius opus moueo fauſto omine: noſtis
Quod iam doctorum ſtudia in contraria vulgus
Scinditur, & ſentit magnas Eccleſia turbas.
Conſulite in medium, quanàm ratione deinde
Tolli hæc damna queant, concordiaq; alma reduci,
Præſtò erit ipſe Deus vobis in vota vocatus,

Veſtraq; propitio ducet ſuffragia nutu.
Mandatum accipiunt munus duodena virorum
Turba, Duciq; fidem præſtant, & iuſſa faceſſunt.
Et poſtquam gratis celebraſſent mentibus ingens
Auguſti meritum, tria ſubijciunt, quibus omnis
Viſa eſt doctorum ſolui diſcordia poſſe.
Si primò priuata procul contentio cedat,
Præliaq; atq; odia expirent, quæ mutua paßim
Hactenus inter ſe fouiſſent ſacra docentes.
Porrò doctrinæ Corpus Templisq; ſcholisq;
Non obtrudatur tanquam Cynoſura docendi,
Quod fieri à Myſijs allatæ aliunde querelæ
Edoceant, tolli & contrà monumenta Lutheri.
Tum ſuadent omnes ſuſpecti dogmatis antè
Diſtractos libros ſubiectis vrere flammis,
Sic poſſe externos facilè ad concordia ſenſa
Adduci, è medio ſi dimoueatur iniqua
Suſpicio, cauſaq; doloſi erroris & aſtus.
Deniq; principibus coram ſi pluribus omnes
Articuli noſtræ fidei relegantur, & inde
Materies pariter tanti certaminis omnis
Doctorum diſcuſſa pio candore notetur,

Iudicioq;

Iudicioq́ꝫ graui ſententia certa feratur,
Quæ mentes Verbo poßit firmare fideles.
Hæc tria concipiunt ſcripto, ſtudioq́ꝫ decenti
Auguſto Heroi tradunt: cui tota probatur
Conſilij ratio: Torgenſem poſtea in arcem
Biſſenos Patres mandato accerſit eoſdem,
His alij accedunt externi, Maximus ille
Chemnicius, Marbach, Cornerus, Muſculus, &
Roſtochia accitus venit Chytræus ab vrbe, (qu
Et quem Sueuorum ſincera Academia miſit.
Hos in conſeſſu verbis affatur amicis,
Elector: grata eſt nobis hæc docta Corona,
Nunc coràm attenti noſtram cognoſcite mentem
Sæpius externus verbis mihi nuncius aures
Vulnerat, exponens quæ ſit diſcordia: ſed nunc
Vincit amor patriæ, laudisq́ꝫ immenſa cupido
Diuinæ, vincit ratio intemerata ſalutis
Proſpicere, vt poſthac poſitis concordia telis
Creſcat, & vnanimes doceant, quicunqꝫ Lutherũ
Amplexi diram Caluini dogmata peſtem
Euitant, certaq́ꝫ fide ducente Magiſtra
Non ratione, nocens tentant proſternere monſtrũ

Vos quibus eſt rerum ſacrarum plurimus uſus
Hoc qua confieri poßit ratione docete.
Aggrediuntur opus moniti, ſtudijſq; paratis
Sollicitum captant communi ſorte laborem.
Attento expendunt animo certamina ſacra,
Et noua cum priſcis ſolerti indagine cenſent.
Si qua Dei *verè ſtatuunt contraria Verbo,*
Iſta negant: quæ vera vident & conſona Verbo,
Confirmant, nuſquam dubijs ambagibus uſi.
Deniq; deſcribunt concluſa, librumq; recentem
Auguſti manibus ſubmiſſo pectore tradunt.
Protinus is plures transferri mandat ad vrbes,
Iudicium vt ſubeat doctorum hinc inde virorum.
Ergo Electores, Comiteſq;, Duceſq; potentes,
Auguſta in quorum terris confeßio floret
Acri cenſura relegunt, laudantq; probatum,
Et Diuo Auguſto tanto pro munere grates,
Perſoluunt meritas: Hinc voce manuq; fatentur
Concordes animos; fidei ſocia agmina iungunt.
At poſtquam varias cenſura remiſſa per oras
Venerat Auguſti præluſtrem Patris in aulam,
Mox iubet, vt ſeni Bergæ celeberrima tecta

Theo-

Theologi ſubeant, reſponſorumq́; datorum
Rimentur ſtudio quæ ſit ſententia fido.

Hi iuſſa expediunt: & dum tot ſcripta vo
lutant
Diuerſorum hominum, cernunt aſſenſibus omne
Confirmare nouum librum, quibus æqua volunta
Doctrinam ad ſeros ſanam transferre nepotes.
Nam noua multorum pertentant gaudia mentes,
Atq; Deo grates tanto pro lumine reddunt,
Nec minus Auguſti zelum ſuper æthera lætis
Vocibus extollunt, Patremq́; Deumq́; ſalutant.
Quot paßim hac ipſa lacrymæ regione profuſæ
A ſenibus? quorum omnis amor, conſtantia, Can-
dor:
Luthero in magno ſtabat, qui miſſus Olympo
Duxerat afflictam Romano è carcere plebem.
At quibus haud placuit Concordis Formula pacis
Hi vel Caluini deliria vana ſecuti
Oblatam inflato ſpernebant pectore pacem,

Ac licet infernus Coluber, cui nomina mille
Mille nocendi artes linguis vibrantibus ora
Sibila dirigeret tot candida pectora contra:
Non tamen effecit, quod tanto optauit hiatu,
Nec caruit magnis opus id ſucceßibus ingens,
Mirandum, felix, quo non felicius vllum
Contigit his terris poſt ſancti fata Lutheri.
Huius ope in noſtris floret concordia templis,
Huius ope in cathedrâ viuit doctrina Lutheri,
Huius ope in quouis certamine regula habetur,
Quâ tutò poßis vti, omni errore remoto.
Hic nihil incertum, ambiguo nil pectore fictum,
Sed quæcunq; Dei verè ſunt tradita verbo,
Quæq; Catecheſis Lutheri paruula, quæq;
Auguſtana fides & cætera ſymbola monſtrant,
Hæc eadem repetit liber iſte, atq; explicat abſq;
Inſidijs contra inſidias, contraq; venenum
Peſtiferum, & verum dat per contraria ſenſum.
Quantas iure tibi debemus Maxime grates
AVGVSTE, Auguſtum quod opus tua cura reliquit
Ciuibus, & quicunq; frui voluère ſtupendo

The-

Theſauro, atq; animæ certam captare ſalutem.
Quas ſuſcepiſti curas, quos corde dolores?
Quot gemitus, noctes inſomnes, deniq; ſumtus
Quot quantosq; manus tam celſo principe dignos
Larga miniſtrauit? lingua hæc, mens deficit ipſa
Nec valet ingenio tantas comprendere dotes.
Sic Ezechias quondam, ſanctusq; Ioſias
Ieſſæo in Regno execrandis penè repleto
Idolis zelo egregio, & pietatis amore
Antiqua populum de relligione doceri
Curârunt, laudemq; ſibi peperère perennem.
Sic pius & famà meritò ſuper æthera notus
Theôdoſius mira cum dexteritate docentum
Prælia, quæ calamis & viua voce mouebant
Compoſuit, pacemq; optatam reddidit orbi.

Si non Auguſtum his terris Deus ipſe dediſſet,
Nunquã tam celebri volitaſſent laude per orbem:
Si non Auguſto concordia ſera rediſſet
Autore, in noſtris facies triſtiſſima templis

Exulat, & contrà errores dominantur iniqui;
Et dubitamus adhuc Auguſti extollere factum?
Et dubitamus adhuc tam ſanctum aſſumere librum?
Arctius & ſociæ connectere vincula pacis?
Si librum Auguſti contemnis fronte ſuperbâ,
Si nunquam lectum damnas, ſi reijcis, ecce
Vltrices aderunt furiæ, Rhamnuſia pœnas
Exiget, Auguſtus Princeps in luce ſuprema
Iudicio magno te iudicis ante tribunal
Oſorem veri, contemtoremq́; ſalutis
Arguet, atq; reum ſtygias damnabit ad undas.
Hoc etenim certum eſt: quibus hæc concordia ſordet,
His natiua Dei ſordet ſententia verbi,
Cumq́; Lutheranis Paulina volumina ſordent.
Diſcite iuſticiam moniti, quicunq; labores
Auguſti ſanctos, magnum & venerabile donum
Dente Theonino excipitis, morſuq́; maligno
Inuidiâ cæci violatis; in æthere ſummo
Qui reſidet, qui ſenſa hominis ſcrutatur & ima
Non illudetur, dextrâ ſed vindice pœnas
Poſcet, & à cunctis ludibria tanta requiret.

Hæc quamuis tenui, at fido ſint condita verſu
In laudes AVGVSTE *tuas, laudesq́; tuorum*
Hæredum. Hos facias ſtabiles pietatis Avitæ
Cuſtodes bone Chriſte, tuaq́; ô protege dextrà,
Vt patriæ proſint, tandemq́; beentur in ævum.

FINIS.

LIPSIÆ
Franciſcus Schnelboltz ex=
cudebat,
Typis Hæredum Beyeri.

Anno cIↄ. Iↄc. I.